

146

144

150

140

155

135

195

095

245

045

Ende

Anfang

135

sunt cocodrilli et contra monachos illos insurrexerunt et, nisi di-
vinum auxilium adfuisset terrens cocodrillos ut redirent in stagnum,
omnes illi monachi perditi fuissent. Aliud legitur: quidam sanc-
tus Aegypti monachus, dictus Helenus, de eremo venit in mona-
sterium multorum monachorum, quod juxta Nilum erat, ut illo
die, quia dominica erat, missam audiret, sed non erat sacerdos,
qui celebraret, in monasterio. Qui dum de hoc miraretur et cau-
sam quaereret, dixerunt, quod sacerdos eorum haberet habitationem
trans flumen nec venire posset propter metum magni et saevi
cocodrilli, qui super littus Nili discurrit et omnibus nocere con-
tendit, sed et non paucos occidit. Hoc audiens Helenus ad Nilum
ivit, ut sacerdotem advocaret et ecce bestia quasi latro de fruti-
cetis prodiens furiosa occurrit Heleno, quam ut homo Dei vidit,
oravit et fiducia accepta ad bestiam intrepide accessit et super
dorsum ejus insiliit et in aquam duxit, qui magistrum habere
se sentiens cum tranquillitate eum ad aliam partem fluminis
duxit. Adiit ergo Helenus ad domum presbyteri et hortatus eum
rogare coepit, ut veniret ad dicendum missam dominicalem. Cum
causaretur sacerdos de bestia et de naviculae parentia, dixit He-
lenus: nil verearis pater, sed veni securus et Deus providebit
nobis de vehiculo. Sequebatur ergo sacerdos fratrem et dum ad
aquam venissent, exclamavit voce magna Helenus, cocodrille veni.
Qui ad hanc vocem festinus accurrit et dorsum placide praebuit.
Prior ergo Helenus ascendit, invitavit presbyterum a longe stantem,
ut consideret sibi in dorso bestiae, sed ille a bestia territus et
miraculo consternatus appropinquare nulla ratione ausus fuit. Sanct-
tus autem Helenus, sicut venerat in tergo bestiae, sic rediit. Sed
ubi descendit, secum pariter in siccum bestiam eduxit dicens ei:
melius est tibi mori, quam tot scelerum, tot homicidiorum involvi-
reatu. Ad haec verba protinus corruit et exspiravit. Multa talia
in Vitis Patrum legimus.

Non reperitur cocodrillus, nisi in Nili littoribus. Est autem
animal immundum, juxta legem Levit II. prohibitum manducari.
De ejus stercoribus conficitur unguentum, quod mulieres accipiunt
et rugas facierum extendunt et candorem inducunt, sed lota facie
deterius in pristinas rugas convertitur, ut Albertus habet de ani-
malibus. Antiqui gentiles colebant cocodrillos, ut patet folio...

Aliam terribilem bestiam nutrit Nilus, quae dicitur hippotamus,

